

NATALIS  
ALEXANDRI

I.

BX1750  
.A5  
1771  
v.1  
c.1



1080046802



6#48#91

230

A.

**THEOLOGIA**  
DOGMATICO-MORALIS  
*REVERENDI PATRIS*  
**F. NATALIS ALEXANDRI**  
*Duobus Tomis distributa.*



230

# THEOLOGIA

DOGMATICO-MORALIS

Secundum Ordinem Catechismi

## CONCILII TRIDENTINI.

EDITIO OMNIUM ACCURATISSIMA,  
ADDITIS EPISTOLIS DE PROBABILISMO

IN P. DANIELEM SOCIET. JESU &c.

### TOMUS PRIMUS


U B I A G I T U R

- |                                   |                                   |
|-----------------------------------|-----------------------------------|
| I. De Fide; & Symbolo.            | VII. De Censuris Ecclesiasticis;  |
| II. De Sacramentis in genere.     | VIII. De Indulgentiis.            |
| III. De Sacramento Baptismi.      | IX. De Extrema Unctione;          |
| IV. De Sacramento Confirmationis. | X. De Sacramento Ordinis;         |
| V. De Sacramento Eucharistia.     | XI. De Beneficiis Ecclesiasticis; |
| VI. De Sacramento Pœnitentiæ.     | XII. De Simonia.                  |
|                                   | XIII. De Horis Canonicis.         |

A U C T O R E

R. P. F. NATALI ALEXANDRO

Ordinis FF. Prædicatorum, in Sacra Facultate Parisiensi Doctore;  
& emerito Theologiae Professore.



BIBLIOTECA UNIVESITARIA  
CAPILLA ALFONSO

VENETIIS,

EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

MDCCLXXI



Capilla Alfonso  
Biblioteca Univesitaria

Superiorum permisso & Privilegio.

54749

THEOLOGIA

DOGMATICO MORALIS

CONCILII TRIDENTINI

AD DITIS EPISTOLIS DE PROBABILISMO

TOMUS PRIMUS

- I. De Fide, & Symbolo.
- II. De Sacramento in genere.
- III. De Sacramento Baptismi.
- IV. De Sacramento Confirmationis.
- V. De Sacramento Eucharistiæ.
- VI. De Sacramento Penitentia.
- VII. De Ordine Sacerdotum.
- VIII. De Matrimonio in genere.
- IX. De Sacramento Matrimonii.
- X. De Sacramento Coniugii.
- XI. De Sacramento Eucharistiæ.
- XII. De Sacramento Penitentia.
- XIII. De Sacramento Matrimonii.

R. P. E. NATALI ALEXANDRO



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA DEL ESTADO DE NUEVO LEON



VENETIIS

EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA

MDCCLXXI



Capilla Alameda Biblioteca Universitaria

Superiorum permittit & Privilegio.



PRÆFATIO.



UM uni Dei gloriae, Ecclesiaeque utilitati studia mea consecrare, & Opera destinare, Deo adjuvante, decreverim; cogitavi diu quid Operis elucubrare possem, quod utilius esset, & conducibilius ad *Opus ministerii*, ad *edificationem corporis Christi*. Visum est huic fini servire plurimum posse *Theologiam Dogmaticam*, & *Moralem*, in qua, sepositis omnino *Questionibus Scholasticis*, prætermisissis etiam *Positivæ Theologiae Questionibus*, quæ *Criticam*, *Chronologiam*, *Historiam*, & antiquam *Ecclesiae Disciplinam* spectant, quarum tractatione curiosa delectatur eruditio, & in quibus alias versati sumus; ea dumtaxat tractentur, quæ in Concilio Tridentino finita sunt, aut tradita Dogmata, vel in ejusdem Concilii Catechismo exposita, & alia nonnulla, quæ scire Sacerdotes, Rectores Animarum, Conscientiarum Moderatores, necnon verbi divini Prædicatores debent, suo ut Ministerio digne fungantur.

Clericorum usui, ut magis accommodata sit hæc nostra Theologia, in ea sequi lubet ordinem Catechismi, jussu sacrae Synodi Tridentinae editi, & a Summis Pontificibus, ac Synodis post Tridentinam celebratis non modo approbati, sed Parochis, & Seminariis traditi, atque commendati: & præstantissimos Theologos æmulatus, ex Religioso maxime Fratrum Prædicatorum Instituto, qui huic adlaborarunt Operi, Pio V. Sanctissimo Pontifice, & S. Carolo Borromeo dirigentibus, non proprios, & peculiare animi mei sensus, non privatas Scholæ Thomisticae opiniones, sed Ecclesiae tantum doctrinam (quantum quidem potui) in Dogmatibus Fidei, Morumque Regulis explicandis confector. Dogmatum probationes ex Scripturae Sacrae, Traditionisque fontibus purissimis derivatas profero. Præcipuas etiam objectiones diluo ab Hæreticis oppositas, non ea quidem prolixitate, & eruditionis ubertate, qua Theologicis in subfelliis, & Exercitationibus Academicis opus est; sed ea tamen integritate, & plenitudine, quæ Viris Ecclesiasticis ad Fidem saluberrimam Christianæ Plebi exponendam, eandemque nutriendam, roborandam, & si ex adverso instent Hæretici, defendendam sufficiat. Moralis vero Christianæ Regulas, non ex recentiorum Auctorum opinionibus, sed ex Divinis pariter Literis, Patribus, Conciliis, Summorum Pontificum Decretis, Sanctorum *Thomæ*, *Raymundi*, *Antonini* Operibus, & Sancti *Caroli Borromei* Instructionibus trado, quod a quoque Dominici Ordinis Theologo fieri, si fieri Pontifex Maximus vehementer optabat.

Non solum autem præcorum Pontificum Decretales Epistolas, & Constitutiones, sed & beatæ memoriæ *Alexandri VII.* *Innocentii XI.* & *Alexandri VIII.* Decreta, Censurasque Apostolicas in Moralis Christianæ Questioni-

tionibus explicandis, & Regulis tradendis velut fundamento posui, illasque passim hoc in Opere vindicavi; quo meam erga Sedem Apostolicam, & in ea sedentes Sanctissimos Pontifices, eorumque Decreta, sive Fidem, sive Disciplinam, ac Mores spectantia, reverentiam, ac obedientiam toti Orbi Christiano approbem. Cum Leonis scilicet *Quarti* Concilio ex animo dixerim: *Si quis Dogmata, Mandata, Sanctiones, Interdicta, vel Decreta pro Catholica Fide, pro Ecclesiastica Disciplina, pro correctione Fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum, a Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserit: Anathema sit.*

Disciplinam porro in Sacramentorum Administratione observandam ex Tridentino Concilio, & aliis Synodis postea celebratis, ex Romanorum Pontificum Decretis, & Constitutionibus, ex Sancti *Caroli* nufquam satis laudatis Instructionibus, & ex Moribus, ac Ritualibus singularum Ecclesiarum, præsertim *Romane ceterarum Matris, & Magistræ*, propono, Patrum, & Synodorum antiquorum testimoniis illustratam sæpe, ac roboratam. Quæ enim olim viguit, & nunc antiquata est, vel in defuetudinem abiit, Disciplina; hanc scire, etsi perijucundum, & utile sit, non tamen omnino necessarium. Eam certe in usum privato arbitrio revocare qui voluerit, perturbabit omnia, laqueum Animabus injiciet, nimis emungendo eliciet sanguinem: ab Ecclesiæ ingenio, quæ ob Fidelium salutem promovendam vulnus Disciplinae suæ inferri multoties passa est, illam sæpe immutavit, severiorum etiam Regularum observantiam in defuetudinem abire interdum permisit, prorsus erit alienus. Præsentem igitur Ecclesiæ Disciplinam in Sacramentorum Administratione, & Ecclesiæ Regimine observandam censemus, ac docemus: quamvis & antiqua plurimi facienda sit, suscipienda, veneranda; ejusque instauratio in pluribus optanda, nusquam vero privato arbitrio, & auctoritate tentanda. Quo enim Spiritu gubernante eam olim servavit, eodem regente mutavit Ecclesia, eadem Fidei regula manente, *Quæ una omnino est, sola immobilis, & irreformabilis*, ut loquitur *Tertullianus*. Præclaram illam *S. Augustini* sententiam omnes animo imbibant velim, ut menti penitus infixæ est meæ: *Contra rationem nemo sobrius, contra Scripturas nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus senserit.*

Hanc Theologiam in quinque Libros distribuimus: Librum quemque in plures, seu Tractatus, seu Capita, Articulos, Paragraphos, Numeros, ordinis, perspicuitatis, & memoriæ juvandæ gratia. Rationes Metaphysicas, abstractas, subtiliores Scholæ Theologorum relinquimus: Scholasticas etiam locutiones, quantum fas fuerit, vitamus, (neque enim iis nusquam uti licuit:) ut ad Clericorum omnium, qui in Seminariis instituuntur, quorum plerique in Philosophicis Disciplinis non admodum sunt exercitati, ingenium, captumque, Theologiam hanc nostram attemperemus. Dicendi vero genus usurpamus, nec barbarum, & rude, nec exquisitum nimis, & comptum, inflatum, aut certa periodorum mentione ad pompam studiose compositum; sed purum, nitidum, facile, quali fere in aliis Operibus nostris usi sumus, quod intelligere difficilius non fuerit, quam Tridentini Concilii Catechismus Clericis omnibus familiarem.

Liber primus est *De Fide, & Symbolo*, singulisque illius Capitibus, sive Articulis, ad quos Theologica Dogmata, pene omnia *De Deo Uno, & Trino, De Christo*, ejusque *Mysteriis, De Gratia, & Ecclesia Christi*, revocantur.

Liber secundus, *De Sacramentis*, qui Tractatus *De Sacramentis in Genere, Baptismo, & Confirmatione, De Eucharistia, De Pœnitentia, De Unctione Extrema, De Ordine, & de Matrimonio*, complectitur. Tractatui *De Eucharistia* inserta sunt, quæ spectant *Missarum celebrationem, & Cæremonias, Ecclesiarumque, & Altarium Consecrationem*. Tractatui *De Pœnitentia* adjuncta sunt, quæ *Censuras, & Indulgentias* attinent. Tractatui *De Extrema Unctione*, quæ Testa-

menta, & *Sepulturam Ecclesiasticam*, quæ quidem Rectoribus Animarum scire, & observare, necesse sit. Tractatui *De Ordine* inserta est *Ecclesiastica Hierarchie* delineatio; Tractatio item accurata *De Simonia*, cum Regulis necessariis ad ferendum judicium de Casibus conscientia circa hanc materiam emergentibus. Item *De Vita, & Honestate Clericorum*, maximeque *De Beneficiatorum Officiis*; necnon *De Horis Canonicis*. Tractatus *De Matrimonio* complectitur præcipua difficultatum momenta, quæ negotium facessere possunt vel in foro conscientia, & Pœnitentia tribunali; vel in foro exteriori Ecclesiastico circa *Matrimonii Impedimenta*.

Liber tertius est *De Peccatis*, quorum cognitio ad Sacramenti Pœnitentia Administrationem necessaria est. Eo in Libro Regulæ generales Moralium Christianæ circa opinionum delectum, & peccatorum discrimen, atque gravitatem traduntur, & explicantur. Tum singillatim de septem peccatis capitalibus, & eorum furculis agitur, & Regulæ Morales circa singulas species traduntur, exponuntur, firmantur. Accedit brevis *De Virtutibus* Tractatus.

Liber quartus, *De Legibus, & Decalogo*; qui omnium, & singulorum Præceptorum explicationem accuratam, plenamque complectitur, cum Regulis Moralibus ad Casuum, circa Præcepti cuiusque materiam emergentium, solutionem, & elucidationem necessariis.

Liber quintus, *De Oratione*, Dominicæ Orationis brevem explicationem continet.

Opus secundis curis a me recensitum, & a mendis expurgatum, quæ in prima Editione Parisiensi, Coloniensi, & Veneta pauciora quidem irreperant, hac postrema Editione prodit in lucem, multis accessionibus, Notis, centum amplius Epistolis, Dogmata, Disciplinam, Moreque spectantibus, a me etiam recognitis; præclaris denique Monumentis, quibus Catholica Dogmata, & sanior Morum Disciplina confirmatur, auctum, illustratum, locupletatum.

Demum, ut hæc Editio numeris omnibus absoluta esset, placuit nunc primum in calce Tomi ultimi ponere Epistolas, quas de Probabilissimo doctissimo Auctor in P. Daniele S. J. scripsit, tum quia raræ sunt, & a multis desiderantur, tum quia hoc argumentum gravissimum ita in iis pertractatur, ut in hoc genere nihil exquisitius optari posse videatur. Eduntur quo Gallico idiomate jam satis omnibus noto eas Auctor exaravit. Fuerunt illæ quidem in Latinum sermonem versæ, sed, ut a Viris fide dignis accepimus, mutilatæ quibusdam in locis fuere; Auctoris sensus pervertuntur interdum, neque semper sententiæ feliciter transferuntur.

Hoc Opere Theologiæ Dogmaticæ, & Moralium, quod Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ iudicio, & correctioni humili devotione subijcio, cum fruentur Ecclesiastici, Religiosique Viri, in suis, amabo, Sacrificiis, & orationibus Auctorem Deo commendent, Piorum suffragiis maxime indigentem.



E P I S T O L A  
E M I N E N T I S S I M I D. D.  
C A R D I N A L I S S P A D A,  
I N N O C E N T I I X I I.  
B E A T E M E M O R I E P O N T I F I C I S N O M I N E, A C M A N D A T O  
A D A U C T O R E M D A T A.



ADMODUM Reverende Pater, magnam paternitati tuae habeo gratiam, quod editos a te nuper Theologiae Libros ad me transmissis una cum singularibus humanitatis erga me tuae significationibus. Litteras quas adiecisti ad Sanctissimum Dominum nostrum, avide et me perlectas, simulque librorum exemplar illico Sanctitatis tuae pedibus obtuli, omnino sperans uberem gaudii materiam ex lucentis adeo obsequentis animi tui declarationibus exorituram Sanctitati tuae. Nec me sane opinio sefellit; audiens enim SS. Pater ex iisdem Litteris, te reverenter adeo, atque ut vere Religiosum Virum decet, de Apostolica Sedis Auctoritate sentire, in qua, veterum Patrum sententia edocuit, praestari quarentibus Fidei veritatem agnoscis; teque doctrinam, quae in Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra conservatur, & praedicatur, tenere in omnibus, ac docere velle declaras; professus ibidem a Sp. Sancto per os Romani Pontificis Fidei controversas judicari; ac propterea Sanctitatis tuae examini, iudicio, ac emendationi non Opus modo praestatum, sed & cetera, quae in hunc usque diem edidisti, ac deinceps editurus es, summa animi dimissione submittis: mirum est, quanta Pontifici animi iucunditate perfusus fuerit, & quam profuse Christianam pietatem tuam, profitensque veritatis studium commendaverit. Est itaque de quo admodum gratuler Paternitati tuae, quod huiusmodi debita venerationis officii ingenua mentis tuae probitatem spectatam facere volueris, simulque Pontificiam benevolentiam promereri. Sane nemo te melius, qui vetera Ecclesiae Monumenta divina, nocturnaque manu versare consuevisti, novit Sanctissimos quoque, laudatissimosque Scriptores peculiari Romanae Fidei, doctrinaeque professione maximam sibi gloriam comparasse; eosque contra male semper apud universam Ecclesiam audivisse, qui a Beati Petri Sedis Disciplina, velut ab universali Catholicae Veritatis regula, deflexere. Quorum enim Auctorum (ut scite olim Sanctissimi Gallicae Antistes pronuntiarunt) valere possit praedicatio, nisi quos Sedes Apostolica aut inromisit, aut Apocryphos fecit? Hac itaque cum paternitatem tuam latere non possint, Sanctissimus Dominus noster, qui & virtutes tuas magnificat, & paternam te respicit caritate, plane confidit ea te universo Orbi daturum argumenta, quibus palam fiat, te ut egregium inchoat Praedicatorum Familiae Alumnus, germanumque Angelici Doctoris discipulum, pietate non minus & religiosa in Apostolicam Sedem observantia, quam sapientia, & eruditionis fama praestare; quo quidem nihil Deo, & Sanctitati tuae gratius, nihil bonis viris iucundius, Ecclesiae edificationi opportunius, nihil agere tibi gloriosius poteris. Ego vero dum ex Sanctitatis tuae sententia tibi ista significo, studia quoque mea, officiaque tuis impendenda opportunitatibus libenter polliceor, paratissimamque in tui servitium voluntatem: Deus Optimus Maximus Paternitati tuae caelestis gratiae dona multiplicet, laboresque litterarios tuos fructu vacuus minime esse permittat. Roma 13. Aprilis 1694.

P A T E R N I T A T I T U A E.  
Ad officia  
C A R D I N A L I S S P A D A  
Inscriptio,  
Reverendo Patri NATALI ALEXANDRO  
Ordinis Praedicatorum Parisios.

N O I R I F O R M A T O R I  
Dello Studio di Padova

Concediamo Licenza agli Eredi Baglioni Stampatori di Venezia di poter ristampare il Libro intitolato: *Theologia Dogmatico-Moralis Auctore Fr. Natali Alexandro Ord. Praedic. con l'aggiunta delle sue Lettere &c.* osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.  
Dat. li 8. Maggio 1770.  
(Angelo Contarini Proc. Rif.  
(Andrea Tron Cav. Rif.  
(Sebastian Foscarini Cav. Rif.  
Registrato in Libro a Carte 35. al Num. 272.  
Davide Marchesini Segr.  
Registrato li 21. Maggio 1770, al Magistrato Eccellentiss. contro la Bestemmia in Libro a Carte 16.  
Andrea Grattarol Segr.  
THEO.



T H E O L O G I A E  
D O G M A T I C A E, E T M O R A L I S  
S E C U N D U M O R D I N E M C A T E C H I S M I  
C o n c i l i i T r i d e n t i n i  
L I B E R P R I M U S.  
D E F I D E, E T S Y M B O L O.



UM fides spiritalis aedificii sit fundamentum, indeque exordium sumat Christianae Religionis institutio, ab ea quoque Theologia nostra exordium sumat necesse est. Hac enim duce ad cognitionem Dei, rerumque divinarum, accuratum pervenimus, ad quas humana ratio tam propria infirmitate, quam congenitis ex primi hominis peccato tenebris impar cecidit, variisque erroribus implicatur, nisi fidei lumine collustratur. Hinc homines, qui solo lumine naturali Deum cognoverunt, & fide destituti, non sicut Deum glorificaverunt, sine Deo in hoc mundo fuisse, Apostolus asserit. Hinc etiam S. Hilarius Lib. 4. de Trinitate scribit: Non subeant ingentis nostrae in caelestium scientiam, neque incomprehensibilem virtutem sensu aliquo infirmitas nostra concipiat. Ipsi Deo de se credendum est, & illi, quae cognitioni nostra stris tribuit, obsequendum. Et Lib. 5. A Deo descendendum est, quod de Deo intelligendum sit: quia non nisi se auctore cognoscitur.

Q U A E S T I O P R I M A.  
D E F I D E.  
A R T I C U L U S P R I M U S.  
Quid sit fides.

**F**ides vulgo definitur Donum Dei, seu Virtus a Deo infusa, cuius lumine mens hominis illustrata firmiter assentitur rei omnibus, quae Deus revelavit, & nobis per Ecclesiam suam credenda proposuit, sine illa Sacris Litteris expressa sint, sive non sint.  
I. Dicitur Donum Dei, quia in re cum ceteris Virtutibus Theologicis, Spe scilicet, ac Caritate, convenit, imo cum omnibus virtutibus infusis, ac donis Spiritus Sancti, quae perit Dei dona sunt; Fidem autem esse Dei donum, etiam quando caritatis consortio defuitur est, dogma est Catholicum, Scripturae Sacrae testimonio firmatum, Joannis 6. *Hic est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Ad Romanos 12. *Alii datur fides in eodem Spiritu.* Ad Philippenses 2. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Ad Philippenses 1. *Vobis donatum est pro Christo non solum, ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Et Actuum 16. de Lydia parvularia dicitur; *Cujus Dominus Pelagianorum haereticum, assentientium, Fidem homini ex licet praedicationi consentire illum posse: & Semipelagianorum, dicentium, Gratiam interiori non esse necessariam ad initium fidei, gravissimis argumentis confutavit S. Aug. Libro de Praedestinatione Sanctorum, & Epistola ad Vitalem, & S. Prosper in Libris contra Collatorem, in Responsis ad Capitula Gallorum, & ad Excerpta Genuesium. Utitur autem S. Aug. ad hunc proligandum Nat. Alex. Theol. Tom. I.*

errorem invictissima probatione ex Ecclesiae precibus petita, quae pro infidelibus Deum orat, ut convertantur ad fidem, & pro eorum conversione gratis agit. Easdem haereticos damnaverunt Africana Concilia, & Africanum secundum, Canonibus 5. 6. 7. & 8. ac demum Tridentinum Sessione 6. Canone 3. cuius haec sunt verba: *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, a quoque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse sicut ipse, ut ei justificationis gratis conferatur, Anathema sit.*  
II. Divino isto lumine mens hominis illustratur, quia si opus est Evangelium, in illis, qui perierunt, est operum; in quibus Deus huius saeculi excavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriae Christi, qui est imago Dei... Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Jesu: (inquit Apostolus 2. ad Corinthios c. 4.)  
III. Eo lumine fit, ut mens hominis firmiter assentiatur illi, quae Deus revelavit. Cum enim fides non sensuum experientia, non conjecturis, non ratione humana, sed Dei revelantis auctoritate nitatur, primae scilicet, ac supremae Veritatis, quae nec fallere potest, nec falli, postulat in assentientium firmitatem, quae omnem profusam haesitationem excludat. Quantumvis igitur sensui, vel rationi contraria videantur, quae fide suscipiantur, illis tamen citra dubitationem assentientium, & intellectus omnis in captivitate redigendus est in obsequium Christi, apud quem non est difficile, nedum impossibile omne verbum. Hinc S. Basilus Sermone De vera ac pia Fide, ita fidem definit: *Fides est assentientis approbatio sine ulla haesitatione de eorum veritate, quae divino munere sunt proposita.*  
Firmitatem illam explicat magis Apostolus, fidem ita definiens, Epistol. ad Hebr. cap. 11. *Est autem fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium.* Dicitur enim substantia rerum sperandarum, quia assensus est adeo certus, ac firmus, ut eas res, quae a nobis sperantur, etsi adhuc futurae sint, & in expectatione positae, perinde tamen, atque si praesentes essent, jamque in rerum natura subsisterent, nobis exhiberent. Efficax enim, ut nihilo magis de mysteriis a sensu remotis dubitemus, quam si vel oculis conspiceret, vel ratione comprehensa essent; imo de illis multo certiores sumus, quam de his, quae nobis sensuum experientia, vel ratione persulerunt. Dicitur argumentum non apparentium, id est, ostensio, & demonstratio rerum, quae non videntur, quia eas, tamen si obscuras, & inevidentes, tam certo tamen oculis mentis nostrae representant, quam si vel corporis oculis conspicerentur, vel humanae facultati rationibus comprehensa intelligerentur.  
IV. Fides igitur non est opinio, non est aestimatio, quomodo eam definiat Petrus Abailardus, quem propterea S. Bernardus graviter reprehendit, ac refellit Epistola 190. seu Tractatu De erroribus Petri Abailardi in Concilio Senonensi damnatis, ad Innocentium II. Pontificem Maximum, cap. 4. *Absti, inquit, ut puerus in fide, vel spe nostra aliquid, ut is putat, dubia aestimatio*

Fidei la-  
men.  
Fidei ex-  
tensio.  
a. Cor. 10.  
Luc. 11.